

configitur. *Baruch* ante Librum suum *Notarius ieremie* audit. *Machabaeis* praefixus est geminus *Rabani* ad *Ludovicum* Regem et *Geroldum* Palatii Archidiaconum Prologus, ubi ad priorem notat rubrica marginis: *Vacat ista epistola et alia.* Opinor hoc sensu: Non esse canonicas, nec *Hieronymi* Praefaminibus equiparandas. Testimonium *Job*. I. c. 5. a prima manu ita habet: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. uerbum. et spiritus sanctus. Et hii tres unum sunt. Et tres sunt* (parva rasura) *qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis;* atque huc alia manus in margine: *Nota. et hii tres unum sunt.* Ad calcem brevis Prologus in librum actorum apostolorum subjungitur, quem Biblia glossata non habent. *Lucas euangelista apostolorum actus sicut euangelia ad theophylum quendam condiscipulum suum scribens mystica narratione contexuit &c.* Accedit tribus columnis Vocum hebraicarum, ut solet, Interpretatio, et Index Epistolarum et Evangeliorum per anni cursum de Tempore et Sanctis in sacro Officio legi solitorum.

XXII.

R. 332¹ Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 420. 4. min. per duas columnas nitide, sed minutissime perscriptus, et literis initiorum rubro caeruleoque variis comtus sacra vulgatae Editionis *Biblia* continet praemissa quidem *Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

Hieronymi ad *Paulinum* Epistola, ceterum paucis Prologis instructa. Ordo Librorum consuetus est. Liber III. *Esdrae* omissus; II. vero, si Librario credas, *Jeremiam* autorem habet; ita enim incipit: *Verba Hieremie filii Helchie pro Nebemiae. Psalterium* abest. Epistolae *Pauli* praeponuntur *Actis Apostol.* I. *Job*. c. 5. ad Testimonium terrestre non additur *ro: et hi tres unum sunt.* Ad calcem habetur nota illa Voculorum hebr. et graec. Interpretatio, cui quidam adlevit Epistolam ad *Robertum*, quae *Bernbardinorum* chorum ducere solet.

XXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1685 XIV. Folior. 388. 8. maj. per duas columnas nitide, sed minutissime perscriptus, coloribus illustratus et quondam Bibliothecae Civicae Vindob. sacra vulgatae Versionis *Biblia* continet Prologis *Hieronymianis* et solitis Argumentis instructa, in quibus Libri ordine consueto decurrunt. Post L. *Nebemiae* adest L. spurius *Esdrae* hic II. adpellatus. Post L. *Esther* inconcinne *Incipit ordinarium Evangeliorum et Epistolarum*, id est Lectionarium per annum; tum sequitur e calce Codicis male huc trajectum *ult. Folium Interpretationum hebraicorum nominum*, demum *Canon Missae* praeviis diversis per annum Praefationibus, quas inter etiam *pro Defunctis* propria hoc tenore: *Per Chr. D. N. Qui mortem nostram moriendo*

C

de-